

et cum typographorum sphalmatis configendis, quæ res incredibilis est molestiæ plena improbo labore id egi, ut non parum in hæc restituenda et emaculanda profecerim: nisi mihi plus æque vanus adulator obblandiar. Si aliquid e proprio penu protuli, et si quid aliud meo arbitratu immutatum est, quod perquam rarissime contigit, non tamen nisi prævia diligentia et inorosa consideratione factum, lectoremque monitum volui, ne mea pro alienis obtruderem. Loca S. Scripturæ quæ ab auctore laudantur, quæque in editionibus corrupte annotabantur, suis quibusque locis restitui. In iis autem excseribandis usus fuisse videtur Chrysologus versione illa quæ ex Græco LXX Interpretum in Latinum versa, quamque *Italiam* vocat Augustinus, aliis sæpe innumeris præferabatur: eodem monente Augustino in cap. XIV et XLIX Isaia: *In ipsis autem versionibus Itala præferatur: nam est verborum levior cum perspicuitate sententiæ.* Hujus autem et auctor ignoratur, et tempus. Constat tantum, postquam vulgata Hieronymiana apparere cœperit, eam vocari inceptam *Antiquam*: quo nomine audit penes D. Gregorium præfat. in lib. Jobi, Cassianum, Eucherium, aliosque. Vide quæ observata sunt in notis ad serm. 20. Loca item quædam S. Scripturæ meliorum Interpretum fide ausus sum explanare: sed in iis tantum rerum articulis, quando lux eis addita, in ea etiam quæ Chrysologus scripsit, refundebatur. Notas insuper addere placuit: non diffusas quidem, et quæ fastidium molestiamque lectoribus facerent; sed breviores, et quæ res observatu dignas potius inquirerent, quam longis verborum involucris, et multorum locorum exscriptionibus involverent, et libellum in ampliorem formam adaugerent. Cum autem hæc notulæ variis temporibus, et prout se offerebat occasio, scriptæ fuerint; inde factum quod nonnulla in superioribus sermonibus annotanda, in posterioribus, et contra, rejecta sint. Longior potius in laudandis auctoribus fui: ut lectoribus essem veluti pro indicule, quo duce ipsi prænotatos scriptores adirent et consulerent. Ratus item de concionatoribus aliquid promereri posse, si alia sanctorum Patrum loca indicarem, ubi vel eadem quæ Chrysologus, illustrant sacræ Scripturæ verba, vel in non absimiles corruptos, depravatosque hominum mores insurrexerunt. In omnibus editionibus varias reperies Sermonum inscriptiones, seu *maris dicera*, ut forensi utar vocabulo, intitulationes: ac si in variis et sanctorum et B. Virginis festivitibus pronuntiati fuissent. Has utpote spurias, et adullerinas, et quæ perlatus in impressionibus irrepererunt. Dominicus Mita rejecit; et eorum loco alla quædam submitit. Ego, mss. fidem secutus, utrasque censui eradendas (a).

Cæterum sancti hujus antistitis Sermones hos, primus omnium e privatæ bibliothecæ plures eruit Felix, et ipse episcopus Ravennas XL; qui sedem obtinuit sub initium sæculi octavi, circa annum 707, usque ad annum 747 (Vitam dedit Agnellus in Pontificali Baccini). Indeque anno 1534 typographice artis ope in vulgus prodire Bononiæ, curante P. D. Agapito Vincentino Lateranensis ordinis canonico. Unde apparet, quam perperam ab nonnullis editio Parisiensis anni 1544 venditetur ut prima. Non autem juramentum præstare vellem, omnes hos genuinos Chrysologi fetus esse: nam nonnullos reperies obscuros, intricatos elegio, et nostro haud dignos auctore. Et cum præter hoc observassem, styrium non undique parem sibi que constantem esse; argumenta non una, sed pluries in iisdem festivitibus repetita, in eam suspicionem facillime prolapsus sum, opus hoc fuisse compactum variis incubrationibus sanctorum præsulum, qui fortasse post Chrysologum in Ecclesia Ravennati docuerunt, et ab studioso quopiam viro in hujusmodi fascem collectum, ut exemplo successoribus esset. Non autem ea, quæ subleste esse fidei suspicabar, expungere ausus sum. Indicavi tantum, religionis inde ducens privato iudicio sacros vetustosque codices imminuere, et temerarias in eos manus injicere.

Ne vero ingratis quibusque videar accensendus, antequam primam hujus præfationis partem expediam, illaudatum iri non patiar cl. et doctissimum P. D. Jacobum Mariam Pailonum Congregationis de Somasca, virum juvenis natum amicis, mihi que præ cæteris recolendum, quique nullam non adhibuit diligentiam solertiamque, ut editio hæc nitidior et castigatior prodiret.

(a) Et V. C. Sebastianus Prull inscriptiones a Dominico Mita singulis Sermonibus præmissas, mss. codicum auctoritate rejectas, rejecit; Bibliopæla tamen, habita legitimum et concionatorum commodi ratione, eas deinceps revisitas hujus editioni apponendas esse censuerunt.

## VITA S. PETRI CHRYSOLOGI.

RAVENNATIS ARCHIEPISCOPI

Ex Libro Pontificali Anagni, qui et Anagnas, edito ab Cl. Baccinio tom. I, pag. 301.

Additis nunc Variis Lectionibus ms. VALLICELLANI.

CAPUT PRIMUM.

Petrus, archiepisc. XII, pulchro aspectu, delectabilis forma; ante eum nullus pontifex [Cod. Vallie. ex

pontificibus] sapientia similis illi, et post eum non surrexit. Mulierum librorum et volucrum conditor, et velut irriguus fons ita in eum divina sapientia quotidie

emanabat; unde pro suis eum eloquiis Chrysologum vocavit [Vallie. vocaverit], id est aureus sermocinator [Vallie. aureum sermocinatorem]. Natus est Corneliense territorio; nutritus et doctus [Vallie. edoctus] a Cornelio illius sedis antistite, et pro sui nutritoris amore Petrus iste beatus, qui dudum Imolas prædictum vocabat territorium [Vallie. quod dudum Imolas prædictum vocabatur territorium], ab illo jam tempore *Corneliense* nominavit. Sed aiunt alii ideo *Corneliense*, quod Cornelii forum fuisset. Iste primi Leonis sanctissimi papæ Ravennatis Ecclesiæ cathedram regebat. In ipsis diebus sævissimus Eutyches presbyter maligno spiritu instigatur et circa sanctam et individuum fidem catholicam suis pessimis cogitationibus malignam cœpit hæresim excitare. Quem sanctissimus Leo per suam epistolam in conspectum sanctorum multorum Dei episcoporum admonivit [Vallie. admonuit]. Nunquam potuit [Vallie. Et nunquam potuit] ejus supersticiosam credulitatem ad bonum revocare propositum. Sanctus igitur Leo ad beatum Petrum hujus Ravennatis urbis pontificem [Vallie. non habet hujus, etc.], res notas celeriter fecit; qui scribens epistolam ad ipsum hæreticum direxit, per quam in Chalcedonensi syondo non consensit [Vallie. non consentiens]; demersus est. Sed ipse sanctissimus Leo multas vices per sua epigrammata in Constantinopolitanam urbem misit non solum ad Gallam Placidiam, verum etiam ad Valentinianum et Honorium [Vallie. add. imperatores] et ad cæteros alios fidei robustos, simulque ad divum Gratianum [Vallie. : Reponendum Martianum] et Eudoxiam sequestratim [Vallie. sequestratim autem] contra prædictum Eutychem presbyterum diversas, ut diximus epistolas, et tanto tempore prolata fuit [Vallie. protelatum fuit], usque ad tempora Martiani imperatoris. Igitur, ut diximus, cum multa altercatio de sancta intemerata fide catholica facta fuisset multis diebus, contigit ut cum episcoporum consilio fuisset allatus prædictus hæreticus coram omnibus sacerdotibus, Theodorus episcopus cum eo certare cœpit, ostendens singula volumina de sanctis Scripturis, et diversa testimonia, quod sancta et indivisa sit Trinitas et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus esset Deus cœqualis ex duabus manens naturis [Vallie. : Hæc de Christo Domino apte intelligenda], Dei et hominis. Non consensit. Tunc auctoritate apostolica demonstrata non resipuit. Ostensaque est B. Petri Chrysologi epistola in qua ex parte continebatur ita: *Humanæ leges intra xxx annos inter nos [Vallie. non habet inter nos] omnes litigiosas interimunt quæstiones, et tu circa quingentos annos cur tantoprecsumis in Christo conviciare sermone? vere oportet te humiliari ad sanctum Romanum pontificem, et diligenter ejus præcepta custodire, et non aliter extimes nisi quod B. Petrus apostolus vivus sit, et apostolatus cathedræ Romanæ sedis in carne teneat principatum* Post hæc autem ipse Eutyches sævissimus in ipso cecidit concilio [Vallie. consilio]. Sacerdotum vero cœtus post solutum concilium una cum plebe om-

nium Christianorum Deo immensas gratias agentes, et maximas laudes imperatoris catholicam et certam fidem observantis [Vallie. et maximas laudes inferentes catholicam et rectam fidem observantibus, etc.], valedicentes abierunt.

## CAPUT II.

*Petri Chrysologi ordinatio cœlitus imperata.*

Igitur, charissimi, quod residuum est de Chrysologi vita in medium proferamus, et inquiramus quomodo aut qualiter in tali orthodoxa sede non ex propriis ovibus, sed ab subjecta Corneliense Ecclesia Ravennenses cives [Vallie. Ravennates] pontificem ordina-verunt. Tempore namque illo postquam defunctus est beatissimus ante nominatus [Vallie. non habet ante nom.] præsul Joannes, convenerunt universus cœtus populi una cum sacerdotibus, sicut mos est in Ecclesiæ ritu, et elegerunt sibi pastorem, cumque eo properantes Romam venerunt [Vallie. cumque omnes cum eo... venissent] ad sanctum papam apostolicæ sedis, ut eorum ordinaret electum, ne talis Ecclesia viduata esset pontifice tantis diebus. Die vero crastina erant omnes parati ut eum [Vallie. eum virum] quem elegerant sanctis [Deest. in Vall. sanctis apostolicis præsentarent aspectibus. Igitur nocte eadem apparuit ad sanctum Sixtum urbis Romæ episcopum [Vallie. S. Sixto... episcopo] per visionem B. apostolus Christi claviger Petrus, una cum Apollinare discipulo suo, et inter ambo stans B. Petrus Chrysologus; et parum B. Petrus apostolus pedem figens dixit ad S. papam Sixtum: Vide hunc virum, quem elegimus nos, qui stat in medium nostrorum [Desunt in Vall. qui stat, etc.], ipsum consecra, non alium. Idcirco ex perge factus papa, jussit valde introduci diluculo plebem universam, et virum qui ordinandus erat. Intuitus est eum diutissime S. papa et ait: Ite, tollite eum de medio, hunc non agnosco. Nisi adduxeritis mihi qui ostensus est, alium non ordinabo. At illi cœperunt inquirere inter se mutuo quæ esset hujusmodi res, ejectisque omnibus foras contristati sunt. Alia vero die jussit [Vallie. add. papa] ut populus cum omnibus electis [Vallie. clericis] maximis, et mediocribus, et pusillis ante se introducti fuissent, et cum non vidisset formam viri quæ illi ostensa fuerat, ait: Requirit ex vobis, forsitan non omnes venistis, et complures [Vallie. utrum plures] estis. At illi dixerunt: Non ex nobis [Vallie. novis] quempiam invenies, domine papa [Vallie. add. At ille dixit]. Ite et egredimini foras, nondum electum video. Tertia die [Vallie. nocte] denique iterum apparuit ad eundem papam, nec vigilans pleniter, nec pleniter dormiens [Vallie. eidem papæ... vigilantis... dormienti], apostolorum princeps cum discipulo suo sicut et prius et sanctissimus Petrus Chrysologus [Vallie. S. Petrum Chrysologum] inter se tenentes, dicentes illi: Duximus jam tibi ne super alium manus imponas nisi super hunc virum, quia in illis temporibus Ravennæ Ecclesia, ut pinguedo olei lucernæ illuminans, si ab igne [Vallie. cum igni] fuerit

applicata, ita illius pinguescet et illuminabitur doctrina. Altera die introducuntur omnes, et non invenitur. Tunc sanctus papa sedis Romanæ [Deest in ms. sedis Romanæ] dixit ad Corneliensem episcopum qui illo tempore cum Ravennensibus civibus Romam ierat: Introduc omnes sacerdotes et clericos tuos, forte ibi inveniam virum qui mihi ostensus est. Cui ille cum supplicatione respondit dicens: Non habeo talem virum, nisi unum diaconum, qui præest omnibus rebus meis, super cujus manus ego servus tuus incedo. Si jubes ut in medium veniat, deferatur. Cui beatissimus papa: Veniat, non solum ille, sed et ceteri omnes: si videro quem cupio, gratanter suscipio. At ubi ingressi sunt omnes, statim ut vidit S. papa virum quem sibi per visionem ostensum [Vallie. qui... ostensus] fuerat, conspexit eum ut gemmam fulgentem, et hinc atque illinc per spiritum cognoscens vultum B. apostoli Petri, et Apollinaris pontificis, Chrysologi Petri [Deest in ms. Petri] dextram sinistramque tenentes; et ut hæc omnia sanctus papa conspexit, statim de sede surgens, et obviam illi quasi medium atrium ivit; et libenti animo alterutrum se salutaverunt, usque ad genua. At ubi subtrahere se Petrus Chrysologus papæ voluit, beatissimus papa non sinivit [Vallie. sivit]. Statim cepit fremitum dare populus inter se et maximum clamorem ad cælum. Alii dicebant quia neophytum non recipimus, non ex nostro fuit ovile, sed subito invadit cathedram episcopalem, quasi latro. Tollite, tollite eum de medio, non recipimus, quia de subjecta Ecclesia non licet in majorem transferre. Alii contra aiebant [Vallie. dicebant coram]: Justus est hic homo, non recte dicitis: suscipiamus eum, ut bene sit nostræ civitati; quia prudentissimus est, et castissimus, et doctor bonus, omnique gloria dignus; ex nostra cognatione est, nihil in eum mali sentimus, timore Domini plenus; sine causa eum perdere vultis. Sanctus vero Xistus III [Deest in ms. III] in tali altercatione populum huc illucque divisum conspiciens, palam omnibus retulit visum, ut supra diximus, quomodo [Vallie. quoniam] per admonitionem apostolicam eum consecrare debuisset. Et sistam non vultis patrem, a me recedite, et a sancta Ecclesia catholica alienati [Vallie. Romana alienate] vos omnes. Tunc illi, quasi una voce, cœperunt clamare: Ordinetur, ordinetur. Conscripserunt celeriter decretum: et per impositionem manus recepit Spiritum sanctum, ordinatusque est in pontificem cum gloria, et Ravennam [Vallie. Ravennatem] sedem reversus est. Ex illo jam die cœperunt omnes [Vallie. add. eum] venerari tamquam angelum Dei.

### CAPUT III.

*Edes Petro curante constructæ. Ejusdem cum Projecto Corneliense Synchronologia. S. Barbatiani funus.*

Ædificavit hic Beatissimus fontem in civitate juxta ecclesiam quæ vocatur Petriana, quam Petrus antistes fundavit. Qui fons miræ magnitudinis duplicibus muris, et altis mœnibus structus arithmeticæ, [Vallie. architectonicæ] artis. Iterumque domum

A infra episcopium [Vallie. domus in archiepiscopatu] Ravennæ [Vallie. Ravennatis] sedis, quæ dicitur Tricolis, eo quod tria cola contineat: quæ ædificia [Sicms. Bachin. legend. putat ædes] nimis ingeniosa inferius structa est. Fecitque non longe ab eadem domo monasterium S. Andreæ apostoli, suaque effigies supra valvas ejusdem monasterii est inferius tessellis depicta [Vallie. suamque effigiem.... depictam]: totas vero parietes proconmissis [Vallie. perconmissis] marmoribus decoravit et in ingressu januæ extrinsecus super liminare versus metricos continentes ita [Vall. fecit contineri ita]:

Aut lux hic nata est, aut capta hic libera regnat.  
Lux est ante venit cæli decus uade modernum,  
Aut privata diem pepererunt tecta nitentem,  
Inclusumque jubar secluso fulget Olympo.  
Marmora cum radiis vernantia cerne serenis,  
Cunctaque sereno [Vall. sidereo] percussa in marice  
(saxa)

Auctoris pretio splendeat munera Petri.  
Huic honor huic meritum tribuit sic comere [Vall.  
(condere)] parva:

Ut valeant spatium amplum superare coactis.  
Nil modicum Christo est. Aretas bene possidet ædes,  
Cujus in humano consistant pectore templa [Vall.  
(consistit... templum)].

Fundamen Petrus, Petrus fundator et Aula [Vall.  
(fundavit et aulam)].

Quod Domus hoc Dominus quod factum Factor, et idem  
Moribus atque opere. Christus possessor habetur.  
Qui duo consocians mediator reddit [Vall. reddidit] et  
(unam.

Huc veniens fundat parituros gaudia fetus  
Constritam solidans percusso in pectore mentem.  
Ne jaceat, se sternat huius morbosque latentes  
Ante pedes Medici cura properante recedat;  
Sepe metus mortis, vitæ sit causa beate.

C Multa condidit volumina, et valde sapientissimus fuit. Iste una cum Projecto a B, Cornelio Imolensis ecclesiæ una hora in diaconos ambo consecrati sunt. Post vero divina providentiâ, ambo solum episcopale tenuerunt. Petrus Ravennæ ecclesiæ, Projectus servatus est Imolensi [Vallie. Ravennatem ecclesiæ, Projectus sortitus est Imolensem]. Postquam hic pontifex ordinatus est, postmodum ab ipso iste alter episcopus ecclesiæ Corneliensis consecratus est, temporibus Gallæ Placidie Augustæ, sicut scriptum reperimus [Vallie. scriptum est]. Corpus B. Barbatiani idem Petrus Chrysologus cum prædicta Augusta aromatibus condiderunt, et cum magno honore sepelierunt, non longe ad Posterulam [Vallie. Pusterula] Ovilionis, consecravique ecclesiam S. Joannis Baptistæ, quam Baudarius [Vallie. Baduarius] ædificavit.

### CAPUT IV.

*Petrus mortem suam prævidet, prædicitque. Forum Cornelii pergit, ibique decedit. Locus Sepulcri.*

Cognovit autem post hæc beatissimus Petrus per Spiritum finem vitæ suæ. Ivit ad Corneliensem ecclesiam, et ingressus infra basilicam B. Cassiani obtulit munera: id est craterem aureum unum, et pateram argenteam alteram, et diademata aurea magna pretiosissimis gemmis ornata. Hæc omnia ad S. Cassiani corpus imbuat, positaque [Vallie. posuitque] super aram illius ecclesiæ, et stans super crepidinem juxta altare expansis manibus, benedixit cunctam plebem, sacerdotes, ac populum, et oravit

dicens : Tu dedisti, Deus, animam in corpore isto : tu iterum misericors suscipe eam, quia tua sum creatura. Non occurrat mihi [Vallie. occurret ei] iniquissimus diabolus, sed angelus tuus [Deest in Vall. tuus] sanctus suscipiat [Vall. suscipiet] eam, et collocare jubeas in sinibus patriarcharum, ubi lux permanet, et gaudium immense est. Et nunc, Domine, te confiteor labiis corde [Vall. et corde]. Tu qui omnia parasti ex nihilo, qui solus nostri prisca, et presentia, et futura, de populo huius cordocibile, et timeant te, et agnoscant, quia es Deus in caelo sursum, et in terra deorsum, qui per sanctum Filium tuum totius generis humani salutem recuperasti, in quem credimus Deum et Dominum angelorum, qui es benedictus in saecula saeculorum. Mittere illis, Domine, verum pastorem, qui tuas congreget oves non disperdendo, sed ad caulas ecclesiae revocando. Non sopiat [Vallie. surripiat] ut mercenarius, non sit alienae [Vallie. alienus] ovis custos, sed verus pastor, qui oves cum agnis commissas [Vallie. commissis] mansuetas tunc aspectu representet ; ne ille ferox immanissimus lupus, qui praedam rapere querit a te, pastoris [Vallie. pastore] corda excita, rapida voluptas depellatur, vellera fidelium ovium non diripiat, ne sacra Ecclesia vocis balatibus gemat. Tu bonum pastorem tribue [Vallie. Tu bonus pastor pastorem tribue] huic populo, mitte [Vallie. mitem] pastorem, non peritiosum, sed nutritorem : non ut allidat, sed defendat ; non spernentem, sed revocantem : non raptorem, sed largitorem. Non ut.... [Vallie. lacret], sed compescat ; non cupidum, sed tributorem ; non elatum, sed humilem : non servum, sed blandum. Custodias : populus tuus est, et opus manuum tuarum qui es benedictus in saecula. Ad legentem populum ait : Filii charissimi, audite me. Ego vado, et ingredier viam universae carnis, ubi constituta est domus omnis viventis. Nunc, filii, confortamini, et estote viri prudentes. Dabit vobis Dominus Deus pastorem et rectorem sicut scriptum

est : *Non repellat Dominus plebem suam in finem, et hereditatem suam non derelinquet.* Ille docebit vos. Ille vos per amena pasua ducet, ille sui verbi pabulo vos reficiet ; ipsum audite, non conturbemini. Et vos viscera mea, non contra eum in tumorem cordis elevetis, non sum tumultu, et jurgio pastorem eligatis. Non patrem hujus patriae pro [Vallie. cui] pecunia hanc obtineat sedem, sed hoc [Vallie. hunc] diligite quem Dominus elegerit. Estote perfecti filii : ab omni haeresi servate vos. Cavete ab Ariano dogmate. Sanctam, incontaminatam catholicam [Deest in ms. catholicam] fidem tenete. Corpora vestra servate sine pollutione, quia templa Dei animata sunt. Haec custodite, et agite : ut mereatis vos cum vestro pastore in universorum placitorum [Vallie. in ovium sanctarum placitarum] caelesti Domino viam parare. Praecepta ejus satis custodite : obedite ei, ut ille pro vobis orat : quia omnipotens Deus non vult hilarem, sed cor contritum suscipit, et humiliatum spiritum. Sit benedictio Domini Dei omnipotentis super vos, et super filios vestros in generatione, et progenie, nunc et semper in saecula saeculorum. Cumque omnes respondissent Amen, conversus ad aram S. Cassiani ait : Deprecor te, beate Cassiane, intercede pro me. Tuae domui quasi vernaculus fui a Cornelio istius sedis in ecclesiae gremio [Vallie. Cornelio in hujus Ecclesiae gremio] nutritus : iterum ad te reversus animam nunc Deo omnipotenti trado, corpus autem meum tibi commendo. Haec et his similia eum diceret, quasi qui eructans, ovans, et exultans, fletibus cunctis qui aderant, reddidit Spiritum III non. Decembris. Commentarii vero post sedem ipsius ecclesiae paraverunt celeriter sepulorum in loco ubi ipse praecipit : et ibidem sanctum corpus receptum est, et permanet usque in hunc diem. Sedit autem annos..... menses..... dies..... [Pro Sedit, etc., ms., Regnante vero Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, Filio et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.]

## OBSERVATIONES

D. BENEDICTI BACCHINI abbatis, etc., ad Vitam S. PETRI CHRYSOLOGI ex AGNELLI Pontificali tom. I, pag. 835.

*Petri aetas expensa. Narratio de ejusdem electione divino impulsu facta contra Dupinium asseritur. Agnellus Ravennatem Ecclesiam Romanam subditam agnoscit. Petri epistola ad Eutychetam. An aliam scripserit. An scripserit postremas illius periodos. Adet Tricoli an ab Chrysologo excitata. Petriana ecclesia. Sacellum S. Andreae an ab Chrysologo constructum sit. Munera Corneliensi ecclesiae tributa.*

4. Divi Petri Chrysologi aetatem in postrema dissertatione indicavimus, quantum quidem sufficere poterat ad tollendam temporum confusionem ; nunc expresse, quantum licuerit, de ea decernendum est. Et pro episcopatus ejusdem initio, in ea sententia persevero, ut vel anno 440, qui Sixti III summi pontificis postremus fuit, vel praecedenti 439, ordinatum credam. Annus ejusdem emortualis, nec ante annum 448 collocari, nec post 434 differri potest. Posterioris asserti veritas ex eo patet, quod Aemiliae civitatibus clades, et direptio, Attila late furente, anno 452 est illata ; eoque Ravennam properante, Joannes sedebat episcopus : nec fortassis is ejus se-

dis annus prior erat, sed praecedenti anno 434 coeperat. Prior autem assertio ex Actis S. Germani, Antiodorensis a Constantio fideliter et accurate descriptis evincitur, cum ex iisdem certa demonstratione elicerit eminentiss. card. Norisius Germanum Ravennae obiisse, anno eodem 448, die 31 Julii, Hist. Pelag. lib. II cap. 12. Constat autem Petrum Chrysologum ejusdem sancti funus curasse. Item eminentiss. et eruditiss. cardinalis de Petri Chrysologi emortuali anno haec habet : *Bo anno (430) vel superiori forte decessiss 2 Decembris qua die ejus memoria recolitur, patet ex epistola Leonis 35, ad Leonem Ravennatem, data die 24 Octobris,*